Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

Festvm SS. Trinitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

nuntiavit. Quis jam fidem non habeat dicentibus *columbam* ſine felle eſſe? *Ex Spec. Exempl.*

Vt almus hic Spiritus vivificet te, cuſtodi unitatem, & apud te quietus ſede, præſtolare ejus adventum, ut te ad ſe ſuſcipiendum paratum inveniat: Turbas fuge & temporalium facultatum devita negotia, quatenus amabiliter Paracletus veniat & requieſcat in te. S. L. Iuſt. ſerm. de Pent.

FESTVM SS. TRINITATIS.

QVid ſolem intueris? ſi ſapis oculos claudes. Fides talpa ſit, oportet. Nimirum non poſſe in parvulam foſſam exonerari Oceanum, Auguſtine, docuiſti. Manu tamen ad tanta myſteria non ſemel nos duxit cælum. Ita quo tempore Vaſatenſes Hunni bello, & hæreſi ſuâ SS. Triadem Ariani impetebant, Miraculum contra hos ingens pugnavit. Etenim ſub ipſis ſacris è cælo in aram tergeminæ guttæ ſe demiſerunt, invidiam cryſtallo facturæ. Has cùm legere Sacerdos vellet, ecce ſuâpte ſponte in unicam gemmam coivêre. Atque hoc nobiliſſimum Vnius Triadis, & trinæ Vnitatis ſymbolum Chriſtiani cruce, hanc unionibus ornarunt. Sed quod unâ ſuâ gemmâ ſat dives crux eſſet, vniones omnes, velut victos ſe faterentur, longè inde exſilierunt, quo permoti cives aureâ denique cruce, vt par erat, gemmam unicè pretioſam incluſerunt. Iam in Virginis Claræ de Monte Falco corde repertos ajunt hodieq; aſſervari tres globos, qui ſinguli cum ſingulis, quin imò bini etiam cum tertio certant pondere, nec tamen ſuperant, nec ſuperantur. Oſtendit hæc Virgo nobilius aliquid quàm aurum, quo myſterium

rium hoc claudamus,cor noſtrum. Aut enim hoc, aut nihil capit Devm.

Quemadmodum reliquis omnibus membris caput anteponis, & cætera membra objicis, ut ictum à capite avertas;ita Sanctæ & ejuſdem eſſentiæ Trinitatis fidem ſine qua vitam, quæ vere vita ſit, vivere nemo poteſt, rebus omnibus antepone. S. Ephrem in Vit. rect. rat.

FESTVM SS. CORPORIS CHRISTI.

IVvat pompæ, quam omnis hodie orbis Chriſtianus ducit, exordia paucis denarrare. Virgo fuit non procul Leodio; nomen virgini Iuliana. Hæc dum cælos,quos animo jam habitabat, oculis etiam obambulat,novam Lunam aſpicit, à quâ altera lubens lucem ſuam mendicaret: pleno tamen incremento aliquid reſtare videbatur. Subinde audit Eccleſiam hanc eſſe Chriſti ſponſam, cui porrò ad decoris ſupplementum nihil deeſſet quàm ut ſponſum ſuum ſub pane latitantem feſto die,& pompâ celebraret. Et verò ad hoc operam Iulianæ cælum expetere. Diu linguam Virginis modeſtia ligatam tenuit, dum amor denique ſolvit,& detegere viſum, cùm alijs, tum è Canonicorum collegio uni ſuaſit. Is tunc Io. Lanſenna pòſt Pont.Vrbanus IV. fuit. Et fortè dum hic ad clavum Eccleſiæ ſedet, Bolſenæ Sacerdotis ſacrificantis mentem dubitatio ſubijt de Numinis in S. Euchariſtiâ præſentiâ. Vulneravit hæc perfidia Chriſtum. Nam præterquàm quòd remoto panis velo,in conſpectum ſe dedit, ſcatere ſanguine calix,& effundere ſe hic in aræ lintea viſus eſt.Tum verò Vrbano Pont. jubente miraculum hoc per urbem illam eſt circumlatum; jamque urbem